

dem referre digne possit et <cui> tu, pie imperator,  
tanta praestiteris, ut istud pro benefactis tuis ne a facun-  
dissimis quidem possit impleri? Etenim si, ita ut sapien- 8  
tibus placuit, maxime imperator, aestimanda sunt, non  
numeranda iudicia, qui huiusmodi testimonium conse- 35  
cutus sum pietatis tuae dignatione caelesti, iam licet  
Parnasi iuga securus ingrediar et ab ipsis Aonii ver-  
ticis adytis deducere audeam Musas, tutus, quacumque  
mens ibit in carmina, et divina iudiciorum tuorum  
auctoritate munitus atque in mea blandimenta plus cre- 40  
dulus universo me orbi placuisse contendam, qui pla-  
cere potui totius orbis imperatori. Denique oratus, au- 9  
gustissime domine, temeritati meae da veniam, et quae  
nunc quoque pietatis tuae favore ausus sum versibus  
inligare, dignanter admitte: audaciae meae fomitem 45  
aeternitatis tuae clementia suscitavit.

## EPISTULA CONSTANTINI

Invictus Constantinus Maximus Augustus.

Si tantum pondus et gravitas spectarentur in car-  
mine, et Graeca post Chium Maeoniumve vatem et  
Latina post rusticum Mantuanum eloquentia siluisset,  
nec frustra culpabiles forent qui sibi materias pro in- 5